Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36532
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Inqua enim iam pacis uisio describitur: necesse est ei ut temp
tationum bella nuntientur. Nam ut ualeat ad illa pacis
gaudia eterna pertingere: hanc hic proculdubio oportet
tribulationum certamina multa tolerare. De qua bene dicit.
Ordinabis aduersus eam obsidionem. Predicator quippe con
tra erudiendam animam obsidionem ordinat. cum pre
monendo indicat quibus se modis uitia uirtutibus opponant:
quomodo luxuria castitatem feriat. qualiter ira tranquil
litatem animi perturbet: quantum inepta leticia uigorem
mentis dissoluat. qualiter multiloquium munitiones cordis
destruat: quomodo inuidia caritatem interficiat. quemadmo
dum superbia arcē humilitatis effodiat: qualiter fallatia
cum ueritatem in sermone corruperit. hanc etiam incogi
tatione corrumpat: ut qui uerum dicere noluit quod intel
lexit. iam non intelligat. quod dicere ualeat. Ordinatur
ergo a predicatore obsidium: cum per sancte commonitio
nis uerba singulis quibusq; uirtutibus que uel quib;
modis uitia insidientur ostenditur. Et contra ierusalē
quam descripsit in latere p̄dicator munitiones edificat. quando
mala queq; quam munita contra mentem ueniant de
monstrat: ut sese uitia sub uirtutum specie abscondant:
quatenus sicut sepe iam diximus inmoderata ira iusti
tia uideri appetat. et discipline remissio mansuetudo ui
deri uelit: et tenatia sese parsimoniam nominet. et inordi
nata rerum effusio se beniuolentiam appellet. Quasi enim
edificate contra mentem munitiones sunt. quando ui
tia sub uirtutum specie excrescunt: et in alto se ostendunt
per imaginem. que in imo iacent semper p̄actionem.
cxxxviii. Ad huc quoq; additur. Et comportabis aggerem.
Quo enim mens desiderare celestia ceperit: eo in illa
maligni spiritus temptationib; suis terrenas amplius cogi
tationes exaggerant. Propheta ergo aggerem comportat:
cum predicator sanctus bonis mentibus qualiter terrena
desideria surripere solent denuntiat. atq; ad huc additur.